



Iohannes Fridericus natus est die 30 Iunij Anno 1503, patre Iohanne duce atq; Electore Saxonie. Cum autem præclara indole præditus esset, melioribus literis à teneris annis imbutus fuit. Itaq; breui temporis cursu Latinam linguam atq; historiarum ordinem egregie didicit. pari ratione uirtutibus operam dedit, atq; talem in pueritia sese præbuit, ut nemo non sibi optimè de futuro principe polliceretur. Habebat autem præclara duo domestica uirtutis exempla, patrem Iohannem, & patrum Fridericum electores, quorum nomen referebat, quos sibi etiam unice imitandos proposuit. Cum autem Lutherus superstitiones inueteratas notaret, atque

Euangelij doctrinam promulgaret, Iohannes Fridericus sese attentum auditorem præbuit, atque nondum intellecta, sacrarum literarum collatione, examinauit. hinc factum ut religionis fundamenta probe nouerit, atque subinde ad Iesum Christum unicum salutis nostræ authorem in summis tribulationibus confugerit. Dum hoc modo in adolescente uirtutes relucere, Catharina Cæsaris Caroli soror ei desponsa est, atque literæ eius rei gratia confectæ. uerùm ob religionem mutatam in Saxoniam pacta non fuerunt seruata. Itaque Anno Christi millesimo quingentesimo uicesimo septimo Iohannis illustrissimi Cluensis ducis filiam Sibillam uxorem duxit, atque ex eadem pulchram prolem suscepit. Postea cum magna comitia religionis gratia anno millesimo quingentesimo tricesimo Augustæ Vindelicorum celebrarentur, Iohannes Fridericus cum patre ibidem comparuit, atque sua integritate multos principum in sui amorem perduxit. Pari ratione deinde pro patre Colonia & alibi, dum Ferdinandus rex Romanorum inauguraretur, legationes obiit, atque patris mandata summa grauitate expediuit. Cum autem anno millesimo quingentesimo tricesimo secundo patri defuncto in electoratu successisset, in primis religionis negocia stabiliiuit, atque exules receptos liberaliter fouit. Ministris etiam Ecclesiarum, & liberalium studiorum professoribus stipendia auxit, atque hoc modo iuuentutem ad uirtutes excitauit. Deinde ad Politie gubernationem conuersus, iudices pios & prudentes hinc inde ordinauit, atque ut summa æquitate ius diceretur, mandauit. Ante omnia uerò pacis studia dilexit, & idcirco multas uicinarum iniurias dissimulauit. Cum autem Monasterienses Anabaptistæ ordinem politicum tollere, atque multas absurdas opiniones serere conarentur, cum alijs principibus fortiter restitit, atque eorum sectam ad ueram religionem reducere exoptauit. Eadem ratione Philippo Cattorum principi subsidia contra Henricum Brunswicensem ducem misit, ut publica pax restitueretur. quorum opera Landgrauius id quod uoluit impetrauit, atque Henricum in captiuitatem redegit.